

fessis IN PERPETUUM. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri. *quatinus* et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat. et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter *dilectis* in domino *filiis*. vestris iustis postulationibus clementer annuimus et ecclesiam sancti sepulcri in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar predecessorum nostrorum pie memorie HONORII. INNOCENTII. CELESTINI. LUCII. EUGENII. ALEXANDRI Romanorum pontificum; sub beati Petri et nostra suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuantes. ut ordo canonicus qui secundum dominum. et beati Augustini regulam in ipsa ecclesia institutus esse dinoscitur; perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones. quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet. aut in futurum concessione pontificum largitione regum: vel principum. oblatione fidelium. seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci; firma vobis vestrisque successoribus. et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Medietatem omnium oblationum que ad sepulcrum domini per[ti]nebunt. vel deferentur. sed de rata duas Ecclesia partes. unam pro luminaribus ecclesie. alteram vero ad servitium canonicorum semper habebit. tertia vero tantum venerabilis fratris nostri Eraclii. patriarche, et successorum eius usibus cedit. Vivifice nichilominus crucis que quidem custodie *vestre* deputatur. oblationes omnes. excepta sola die [*pasch*]ale aut cum eundem patriarcham (*sic*) vel successores suos; necessitas compulerit eam in expeditionem portare. Necnon et magnum altare [quod est] in choro vestro cum omnibus oblationibus eidem provenientibus. Ca[meram] quoque et altare cum omnibus que ibi offeruntur. Altari sancti Petri. et sancti Stephani. et inventionem cum altaribus et oblationibus cunctis. Altare quod est ad caput sancti sepulcri parrochiale cum oblationibus cunctis. Altare quod est ad